

dictum exactè priùs occluserat, aperiretur viamque erupturo cum impetu aëri ad musculum desideratum panderet. Ut verò tandem & sensûs analogiâ quadam alluderet spectatori- bus suis hæc machina, posset hæc ipsa canalium in capitis ca- vitationem hiantium apertura sic alligari ferreorum filorum ope aliis corporis membris aut machinæ partibus, ut, si v. g. spe- ctatorum aliquis digito vel medium pectoris tunderet, vel auriculam iussus vellicaret, aut latus manu perfringeret, hæc ipsa externa impressio filamentum quoddam ferreum intus occultatum traheret, hoc attracto valvula canaliculi cujus- dam aperiretur, & sic erumpens ad pedis aut cubiti aliosve musculos aër, hos insufflando contraheret, brachiumq; adeò aut crus statuæ eo modo commoveret, ut si colaphum esset impactura, aut pede tangentem calcatura, aut aliud quiddam ex indignatione quasi molitura.

XIII. Neque verò diffitemur, hos tales ausûs & labo- ris plurimum & multum artificii, & impensas haut leves, & industriam accuratissimam, nec exiguum tempus postulatu- ros. Quia tamen ex supranarratis experimentis facilè per- speximus, non esse magis impossibile, animales loco motivæ & sensitivæ facultatis functiones artificio quodam adombra- re, quàm vitales quasdam actiones, ac speciatim humorum per universa corporis viscera circulationem, quodammodo exprimere (quod posterius Nobilissimi DN. REISELII Machina circulatoria ipso facto præstat) ideò hæc nostra qua- liacunque in eam rem cogitata hîc depromere collubuit, ut ii quibus est plus otii & ingenii, quiq; gratiâ valent apud Principes aut ditiores alios curiosis ejusmodi tentaminibus impensas necessarias largiter suffecturos, plus ultra progredi remque nostro iudicio pulcherrimam opere ipso conficere allaborent. Voluimus autem, ut mens nostra eò pateret evidentiùs, & schematismum quendam adjicere, ex quo in- telligere distinctè liceat, si v. g. per statuæ cujusdam in hunc finem paratæ verticem & per valvulam X introrsum paten- tem